

## De Somno & Vigilia.

17

**A** petitu res mouentur ob aliquem finem, ut quiescant, agant. At ut ad rem nostram hæc principia du-  
catur, calidum innatum agnoscitur & à scipso, & ab alio moueri: nam cum calor qui in eo est, igneus  
sit, aut aereus, superiora corporis membra suapte natura necessario petet: sicut in vigilia accidere ui-  
demus, quid enim est, quod post somnū animal excitet, nisi quod calor, interno negocio solitus, spo-  
te ad caput, & tensoria ascendit: atque illud est, quod scribit Galenus in libro de Rigore, calidum in-  
natum quoniam calorem habet, ad superiora, exterioraq; suo impetu ferri. Postulat calor hic idoneā  
materiam, ut suos motus exercere possit, nam si humores & spiritus deficient, aut exuberabunt, uel  
crassiores, aut tenaciores, aut ob aliam qualitatem inepti redditi fuerint, nequit ille suos sequi motus,  
quod exemplis facile est docere, nam ex nimio labore quiescere cogitur animal, quoniam deest spiri-  
tus, sine quo nequit calor extra ferri, & in uniuersum corpus expandi. Vbi humorum plenitudo cor-  
pus grauat, opprimitur calor, materiae copia, quam quum regere nequeat, & impellere, impeditur quo-  
que ille extra ferri, & membra mouere. At si sanguis, & spiritus crassiores in corpore sunt, cogitur  
**B** calor in uisceribus hærere, tenuiore deficiente materia, qua ntitur, suosque motus exercet. Si uero  
refrigerata præter modum ea est materia, affecto ipso calore, qui author est motus, calidum innatum  
sistitur, nec in hanc, aut aliam partem ferri ualeat, ueluti in his accidit, qui uel opium, aut papauer  
ipsum, largius assumperunt, hi enim immobiles tanquam lingua arida apparent. Igitur calidum  
innatum à scipso mouetur extra, intrò uero nequaquam. Nam quod Galenus ait, illud non posse  
in externis partibus perpetuò uersari, quod repugnet frigiditas, & humiditas, nequaquam recipio.  
Si enim res prædominantis elementi motus sequuntur, nunquam suo impetu calidum innatum intrò  
se recipiet: si modo in eo aerea, igneaque substantia, præualere dicitur: qua verò ratione hos experia-  
tur motus, postea ostendemus: nunc satis sit docuisse, calidum innatum sursum, & extra moueri  
aliquando, à scipso, aliquando verò ab alio. Nam cum animæ, & corporis sit instrumentum, utique  
oportet illud sequi illorum motus: trahunt ergo partes corporis calidum innatum, quando illius ope-  
ra opus habent. Illud idem à se repellunt, quando quiescere volunt: siquidem eo præsente, necesse est  
**C** actiones fieri: vbi enim opus est concoctione, partes in quibus illa perficitur, natum calidum ad  
se alliciunt: ita partes quæ sentire, vel mouere aut cogitare, aut aliquid aliud facturæ sunt, trahunt ad  
se innatum calidum, & humores solos alliciunt, quando illis est opus nutritione: & non solum qui-  
dam natum calidum aduocant membra corporis, sed contrahunt simul, aut extramittunt aut ab-  
sumunt, & feruorem in eo excitant: & denique eo vtuntur, vt illis est opus, & in eo moliuntur, quod  
postulant animæ facultates, & partium actiones: vt in ira, timore, tristitia, latitia, & alijs huius-  
modi affectionibus contingere videmus, in quibus cor diuersis animæ facultatibus agitatum, calido  
natiuo varie vtitur, & cum eo, & in eo uim suam exercet. Igitur anima, & animæ partes calidum at-  
trahunt, expellunt, & pro sua ui, & natura agitant. Allicit calidum alias calor, & pars vacua, faciunt  
enim hæc, vt illud sponte ad locum excalefactum, & vacuum moueat. At per gestationem moue-  
ri quis dicet calidum innatum, quando corporis motus sequitur? At expellitur idem calidum à facul-  
tate animæ expulsive, & uoluntate nostra, & cordis certis passionibus. Item à refrigerantibus, den-  
**D** santibus, aut alio modo astringentibus. Sic enim uidemus expellente natura, partem dolentem,  
humore, & spiritu repleri, & in ira ob motum facultatis irascibilis, cor ipsum agitari, & san-  
guinem, spiritusque in eo contentos feruere, ac in uniuersum corpus exprimi, unde singulæ  
partes rubent, inflammaturque, ob sanguinem feruentem eò transmissum. An animus dum quiescere  
vult à cogitationibus, calidū à se non repellit: externū verò frigus propellit, repellitq; ad interna visce-  
ra innatum calidum per membra sparsum. Vnde videmus hyberno tempore concoctiones in ventri-  
culo fœlicissimè fieri. Sic sanè astringentia remedia, quæ partibus fluxione tentatis adhibentur, hu-  
morem, & spiritus eò venientes repellunt. Igitur innatum calidum à se ipso, id est à suis qualitatibus,  
& ab alio, nempe ab anima trahente, & reiiente, nec non à corpore gerente, & à calore alliciente, uel  
expulsive facultate, aut frigore, uel astringente alia re, pellentibus moueri certum est: impeditur autē  
à se ipso moueri, uel ob ipsius vitium: quando scilicet calor qui in eo est, à frigore minuitur, uel uitio  
materiæ subiectæ defientis, aut exuperantis, aut aliena qualitate præditæ. At quum uideamus illud  
**E** moueri extra, id est in partes externas, intrò ad suos fontes, & nunc in unam, nunc in aliam partem,  
ex internis uel externis, aliquando æqualiter uniuersum corpus occupare, causæ harum motionum  
quærenda sunt: an scilicet cædem sint, uel diuersæ in singulis motibus. Mihi certè diuersæ viden-  
tur: nam extra, & sursum (ut diximus) suapte natura ferri potest, intrò uero nequaquam. Fertur ex-  
tra, uel quod ab externis partibus alliciatur, ut in cogitationibus, & sensationibus accidit, cerebrū enim  
ab internis uisceribus euocat calidum innatū; qñ suas actiones exercere cogitur, uel quod extra mit-  
tatur à suo fonte, ut in gaudio fieri conspicimus, uidemus. n. in huiusmodi cordis affectione sanguinē,  
& spiritus extra commoueri, & aliquando homines perire, quod interna uiscera deserens calidum,  
eotum expiret, in ira uero æqualiter uniuersum corpus in calcscit, quoniam simul expanditur, & cō-  
trahitur cor, ex quo motu sequitur intus, & foris, calidum natuum uersari, mouetur & extra cali-  
dum innatum à calore externalum partium, quo pacto sudores in balneo, & aere calido eliciuntur, dis-  
soluunturque

Ioannis Argent, de Somno & Vigilia.

B

soluunturque